



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica infra Octavam Ascensionis Dominicæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Dominica Infra Oct. Ascens. D. 79

suaviter requiescamus in sinu Jesu, & Mariæ, pro dispositione mortis felicissimæ *Litanias Lauretanas* recitemus cum Vesperis ex Officio Defunctorum. Domine! quando venies?

Dominica Infra Octavam
Ascensionis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

Monet hodie D. Petrus: *Fratres!* prudentes estote, & vigilate in oratione. Sanè vigilandum, orandum, & sanctè, ac prudenter hīs diebūs vivendum est; quia appropinquat tempus gratiarum. Vivemus autem prudenter, si puritati, ac internæ recollectioni studuerimus exactè. Ah! si Deus intūs, quanta consolatio?

Instructio meritoria.

Pro condigna ergò præparatione ad Spiritūs Sancti Adventum imploremus omnes Sanctos Cœlites per *Litanias Majores*, & manè vix excitati, nos statim è lectis proripiamus, & procidentes in genua suspiremus: *Veni Sancte Spiritus.* Recitemus & hoc die Officium minus

D 4

de

de Eo. O Beata dies, cujus initium tantus Deus!

II.

ECce! stat, & pulsat ad cor nostrum Divinus Hospes. Spiritus Sanctus rogat: Aperi mihi. Quid, fili mi! statuemus? claudamus mundo, carni & diabolo, & solum admittamus Amoris Spiritum. Tunc gustabimus, quàm sit jucundum, relinquere se, & cætera omnia, & duntaxat quærere æterna. Si Deus non placeat, quid erit aliud?

Instructio meritoria.

Ut autem in nostris divertat cordibus Amor Divinus, flexis genibus persolvamus *Litanias* de Spiritu Sancto, septemque actus renuntiationis de sæculo speciales exerceamus, & exercitos Ven. Patri Spirituali fideliter exhibeamus, aut pro exercendis paternam efflagitemus licentiam. Amorem amori tribui expedit.

III.

Quanta in nos Dei Bonitas! Deus non erat contentus, suum dedisse Unigenitum pro pretio Redemptionis nostræ: Desuper fontem aperuit omnium
nium

nium donorum, dum Spiritum Sanctum promisit. Potuítne Deus, utut infinitè potens & Dives, plùs nobis donare? non potuit, quia seipsum dedit. Et qualem à nobis dispositionem exigit ad recipiendum? prorsùs modicam. Deus omnium bonorum plenitudo est; plenitudo verò, nisi vacuum inveniat, se effundere non potest. Cor ergò evacuemus nostrum, evacuemus nobismetipsis, evacuemus desideriiis sæculi, & omnibùs, quæ Deus non sunt. Sic veniet dies, & implebimur Spiritu Sancto. Fili! exinanite! quid moramini?

Instructio meritoria.

Ut tantam promereamur gratiam, jugiter ex Adventu repetamus illa *septem O. Majora* cum adjuncto in fine hymno: *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita &c.* Certaque bona opera per hos octo dies pro condigna cordis præparatione exercere statuamus, sed cum præscitu, & benedictione Ven. Patris Spiritualis. Clama, ne cesses. Tempus non erit ampliùs. Ut invenias, nunc expediat, ut quæras.

D 5

Do-